



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

V. Notationes in vitam S. Kunegundis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

Vita redit, recipitq; cutis conspersa colorem.
 Hoc potuit, qui cuncta potest, dare Virginitati.
 Qui montes transferre valet, dare credulitati.
 Nupta viro sub lege viri vult Virgo latere,
 Sponsa subarrata, sponso tamen inuiolata,
 Et Christum sub corde virum sibi legit habere.
 Seruat Virgo fidem; res claruit igne probata.
 Discite coniugium calebs, vbi nulla voluptas
 Qui sine mistura seruant legalia iura,
 Cuncta nihil pensant, quæ mox fuerint ruitura:
 Hic in spe fructus mittentes semina luctus
 Gaudia longa metent agnumq; sequuntur in albis.

Oratio.

O Ramus te virgo sanctissima, Imperatrix gloriosissima, quæ terras misericordiarum tuarum operibus, cælos respersisti virtutum floribus, fluctuantibus in mundo tuis assiste, procellas turbinosas aduersantium tuis orationibus propelle, cunctos tibi deuotos, vitis propulsis, perpetuò tuis fac gaudere beneficiis & meritis, & omnes scribentes, siue fidelium legentes huius textum lectionis fructu non priuentur suæ partæ deuotionis, Amen.

*Precatio Au-
 thoris ad S. Kvne-
 gundem.*



NOTATIONES IN VITAM

S. KVNEGVNDIS.

Vis hanc vitam conscripserit, dicere non habeo, nisi fuerit Nonnosius Monachus, cui Hoffmannus in Annalibus Bamberg. hunc scætum tribuere videtur. Illud liquet, scriptorem hunc, diu post beatum sanctæ Virginis obitum vixisse, utpote, qui Innocentium III. sub finem citet. Exstat quoque Tomo secundo Suriij. Sed hanc non paucis locis ab illa diuersam, ex Codice manu-

R scripto

scripto Monasterij Rebdorffensis prope Aichstadium exhibemus; cuius vt & vitæ S. Henrici Imp. ex diuine Bibliotheca copiam benignè nobis fecit admodum Reuerendus Pater *Leonardus Craus*, loci illius Prior vigilantissimus. Postea veteris cuiusdam codicis apographum misit ad nos, admodum Reuerendus & Clarissimus Dominus Doctor *Fridericus Fornerus*, Vicarius Bambergensis; ex quo Exemplar Codicis Rebdorffensis auximus ac suppleuimus non vno loco.

Quod ad nomen ipsum attinet, variè scribitur; *Cunegundis*, *Chunigundis*, *Chunegunda*, *Chunigund*, *Chunicund*, *Chynegundis*; & significat Regis fauorem; nam *Kunic*, *Chunic*, *Kuning*, hodieque nonnullis per cōtractionem, *Küng*, *Chynig*, *Chyne* Rex est; & gund; gund; hoc est, fauor. Ad eandem formam cusa sunt, *Chynibild*, *Chunilda* & *Chunigilda*, Regis amor. Item, *Chunidrud*, Regis fiducia. *Chunipret*, Regis fama, vel pompa. Nam *Drau*, *Drou* fides est, *Drauen*, *Drouen*, fidere, fidem habere. Hinc *Gertruda*, *Ariodruda*. *Himeltraud*, *Himeldrud* quæ a celo fidit. Porro *Chunigildam*, vxorem Henrici III. Regis & Imperatoris II. qui fuit filius Cōradi Salici Imp. (quam *VVip* po nominat *Chunelindem*) nonnulli Auctores, nominatim *Trithemius* in Chronico Hirsaugiensi, confundere videntur cum nostra *Chunegunda*, S. Henrici coniuge; quæ & *Eliphdruda* vocabatur, teste *Hermann*o in Chronico. Fuit autem *Chunegundis* filia *Siffridi* Palatini Rheni, vt *Fabricius* in Originibus Saxonibus, *Cuspinianus*, & alij tradunt; licet aliis refragantibus.

Sectiones in capita in utroque exemplari deerant; quas nos maioris claritatis adhibendas censuimus. Sunt enim velut certa viarum spatia, quæ iam olim, teste S. Hieronymo in cap. vlt. *Ioëlis* Prophetæ, vniuersa Germania *Rastis* vocabatur; à quiete procul dubio, quæ hodieque Germanis est *Rast* / vt & *quiescere* *Rastis* à Græco *ῥασιω*.

In Caput primum.



Generalis Titulus Cod. Rebdorff. est iste. Incipit vita
S. Kunegundis Regina.
(Ex Præclaro parentum sanguine)

In Caput II.

DEst hoc caput in Apographo Bambergensi & editione Suriana, vsque ad illa verba: *In fascibus itaque constituta, &c.* De hac probatione per vomeres candentes ita Mutius lib. 14. Chronic. Germaniæ. *Henricus uxorem suam non attigerat: ipsa vicissim castitatem seruare cupiens, consenserat sponso: ita ambo debebant vitam calibem. Satan, qui nunquam quieuit, neq. quiescit, neq. quiescet ante consummationem, suspectam Imperatori reddidit Reginam Kunegundem nomine adulterij, &c.* Henricus incusat eam, cur simulet castitatem coram hominibus, grauius iudicium eam manere; Dominum, qui corda & oculos fecit, omnia videre, etiam se fallat homines. Castissima Virgo pudico & modesto vultu, constanter negat, & se gaudere, inquit, quod Dominum testem habeat, cuius testimonio ipsa contenta sit, &c. Ut autem Henrico hic scrupulus, quem Satan illi iniecerat, eximeretur, conuenit inter eos, vt Regina ambularet super ferrum candens; Quæ postquam inuocauit nomen Domini, vt propter gloriam suam, probaret innocentiam ancillæ suæ: læta sed modestissima fronte, nudis pedibus ferrum igne iam iam extractum, & adhuc rubens calcatur toties, quoties voluerunt, qui aderant testes miraculi, quod Deus cum Virgine sua ancilla operatus est. Qui scribunt, ex impulsu Satana hoc excogitatum ab Henrico, vt cogeret uxorem suam, quam nunquam cognouerat, nec cum illa consuetudinem se habiturum decreuerat, non sequitur, quod illi inserunt (pene dixerim calumniatores) esse satis indicij Henricum tyrannum potius fuisse, quam sanctum Regem. Cur non cogitant, quibus quantisque tentationibus Sancti Dei à Satana sint tentati, & non raro induciti nonnihil?

Vnde S. Henrico hæc de castissima coniuge suspicio suborta fuerit, tradit Auctor Compilationis Chronologicæ: Auctore Diabolo, qui inuidebat eius virginitati, de crimine adulterij vehementer infamata fuit. Callidus namq. Diabolus transfiguratus est in formam militis speciosi, tribus diebus continuus manere videbatur pluribus exire de thalamo S. Kunegundis. Martinus Hoffmannus in Annalibus Bambergensibus: Ad stabilendum huius miraculi fidem, eo in loco sacellum edificatum, & duorum vomerum reliquæ. D. Henrici Sarcophago incluse ab Episcopo & Clero Babebergensi, ea, qua decuit, reuerentia in Ecclesia Cathedrali hæcenus seruata sunt.

R 2

Vide

Vide autem & detestare extremam Centuriatorum impudentiam & impietatem, qui in Indice Centuriarum XI. nominant S. Kunegundem *veneficam seu magam*: quia cap. 6. eiusdem Centuriarum Column. 340. inter exempla Magiæ numerauerant etiam istud: *Chunegundis Imperatrix, nescio quibus artibus Demonem stupenda molis marmoreos lapides ad Bambergensis templi constructionem comportare coëgit. Peluim quoque nummis plenam in medium posuit, vnde nemo operariorum, præter iustam laborum mercedem, quidquam auferre potuit.* Citantque Chronicon Saxonicum. At si hæc sunt Magiæ seu veneficij signa, oportet, vt multos, quorum nõ est minor, quam Imperatricis huius sanctitas, in veneficorum classem coniciant; qui similia, vel certè non minus mirabilia patrarunt. An putant Centuriarum fabri, fieri nõ posse, vt Dæmon, etiam inuitus ac renutans, cogatur à Deo propter sanctorum merita, operam suam locare ad ea efficienda, quæ ipse maxime infecta cuperet? Nam si quid agat, impulsu veneficorum, id ex pacto & sponte agit. Nec illud alterum vires diuinas excedit; quarum vi & efficacitate Sancti talia patrabant. Licet enim Magicis quoq; artibus effici possit; hic tamen omne maleficium procul abfuisse, colligitur cum ex aliis adiutis, tum ex persona Kunegundis; quam veneficam non fuisse, testantur cum edita per ipsam miracula, tum perpetuæ Virginitatis studium, illustri testimonio publicè comprobatum, vt referunt eodem cap. 6. ipsimet Centuriatores. Vbi autem & quando auditum, sagas vel veneficas castitatem colere? Quas vel potissimum libidinis ardor & voluptatum cupiditas, in Caco-dæmonis contubernium pertrahit? Prædictum miraculum cum Hoffmannus in Annalibus Bambergensibus recensuisset, hæc subiungit: *Quod indicat huius miraculi pictura, adhuc hodie in muro eiusdem Ecclesiæ (S. Stephani) posita. Ipsam verò lancem Crystallinam ab illo tempore, vsq; ad seruile illud Germaniæ bellum, in Monte Monachorum pro reliquiis asseruatam, seditiosam rusticorum licentiam defregisse perhibent.*

In Caput IV.

IN loco, qui Confugia dicitur) De hoc Monasterio Martinius Hoffmannus lib. 1. Annalium Babebergensium qui necdum typis excusi sunt.

Eodem anno [hoc est indict. 1. anno regni S. Henrici Imperatoris XVIII. Imperij IV. qui fuit Christi 1018.] Cunigundis Aug. ... millibus passuum à Cassellis Hasicis cœnobium virginum in honorem Domini & Saluatoris Christi, & sanctæ eius crucis, ex voto propria pecunia constituit. Locum circa soli ubertate sæcundum, aquis irriguum, & copia piscium affluentem, Ditmarus Capungum, incolæ Kafungum, affinitate inter litteras C, K & F nota, nominare solent. Et hoc Nonno monacho occasionem dedisse, & audaciam asserēdi addidisse puto, quod ex ignorantia loci & etymologiæ, cœnobium à fundatrice prius Capungum dictum, Confugium appellauit.

Wilhelm Dietrich Hebischer Chronick / parte 2. pag. 115.

Heinrich Churfürst vnd Pfalzgraff bey Rheyn/zu Francken/ Hessen/nc. Herzog.

Diser hat Heinrich den Andern dises Namens / H. zu Beyern / zum Keyser erwählen helffen / vnd ihme sein Schwester Kunigunden ver mehlet / durch deren Vorbit ist etwa das Closter Kauffungen mit etlichen kostbaren Kleinodien vom Keyser begabt vnd erneuert worden. Dahero etliche meynen wollen / solch Closter habe Hohermelter Keyser erstlich gebawet / welches doch anfänglich von Ludouico Pio fundirt vnd gestiftet worden.

Ditmarus Episcopus Merseburgensis lib. 7. ter meminit Kapungi. In Tabulis Geographicis Kauffungen, propè Cassel in Halsa ponitur. Compilatio Chronologica vocat hoc Monasterium

Augiam.



In Caput V.

Rater has Principales) Quàm munificus fuerit sanctus Henricus cum sua coniuge in varias Ecclesias, abundè iam ex vita S. Henrici intelleximus, ut & ex annexis eiusdem Diplomatis.

In Caput VI.

Vius prouidentia quotidie alimenta) Ex hoc loco apparet, scriptorem huius vitæ fuisse Monachum vel Sacerdotem in aliquo Monasterio vel Templo à S. Henrico & S. Kunegunde exstructo & prouentibus annuis instructo.

In Caput VIII.

AE c Epistola S. Kunegundis aberat à Cod. Rebdorffensi. Restituta est ex Apographo Bambergenfi, & ex editione Suriana.

In Caput IX.

Bi velata est) Hæc verba non comparent in Apographo Bamberg. & editione Suriij. Et satius est abesse.

At vbi lectio Euangelij) Compilatio Chronologica. Hæc sancta Konigundis Augiam fundauit, & possessionibus & ornamentis ipsam dotauit. Ibidem ipsa Virgo, dum legeretur de Zachæo, scilicet: Et præcurrens ascendit in arborem fycorum: depositis Imperialibus indumentis, induit, nobilibus vidensibus multis, vestes religionis.

o(s)

In

In Caput XVI.



ST hæc altera huius historię pars : cui in apographo Bambergensi ista inscriptio præmittitur. Incipit de miraculũ S. Kunegundis Virginis & Martyris. Præfatiuncula deest in Cod. Rebdorffiano : Exstat autem in editione Suriana, & apographo Bambergensi.

In Caput XVII.



Gitur dum hæc tam Cleri) In Apographo Bambergensi fufius & distinctius hæc percensentur. Igitur, dum hæc cum solennitate Cleri & populi deuotione agerentur ; quidam contractus in suburbio de hospitali S. Egidij adductus, sanitatem postulabat, & misericorditer exauditus, quod postulauit, obtinuit. Dum signorum fama totum Babebergensem locum resperisset, contractus de domo Conradi Præpositi maioris Ecclesie, sanitatem affectans : & quamuis natura in membrũ eius aberrasset ; tamen, prout potuit, velocius reptans, venerabili sepulcro se ingessit ; vbi à Domino salutem optatam inuenit. Audiens hoc etiã contractus de domo Othonis in eadem Ecclesia Canonici, venit quantocius ad locum sepulcri, sperans sibi ex beneficio gratia, sicut ceteris, subueniri ; vbi sine mora subuentum esse in Christo testamur. Iterum vt in prædicta virgine virtus mira sanctitate elucesceret ; alius qui simili morbo membrorum naturali sensu perduto gressu carebat, adiutoria curationis expetens : celerem sanitatis effectum sentiebat.

In Caput XVIII.



Vlier Paralytica) Apographum Bamberg. Mox omni populo laudes Dei personante, quedam paralytica mulier, incolis prædicti loci haud incognita ; vim superni medicaminis postulans cum lacrymis optatum inuenit auxilium. Audiens hæc alia femina, vno pede claudicans, quæ secularem habitum lugubri veste mutauerat, tarditate debilitatã quamuis impediretur, ingressa est, & spem sanationis, quam ardenti desiderio habebat animo infixam, plenam salutem inueniens, concito cursu ambulabat. Porro
dum

dum huius bonæ famæ odorem vicinia degustasset, atq; ex diuersis locis confluere, claudus de castro, quod Iech dicitur, post momentaneam orationem vix completam, celerrimè gratiam percepit.

Item in dicecesi nostra nobilis femina, de Castello, quod VVikenfeld nuncupatur, immoderatum dolorem sustinens, quia nullo medicorum remedio curari poterat: se caelesti medico commendans pristinae sanitati restituitur. Vt autem curationis magnitudo diffusius Ecclesiis innotescat, quasdam eius infirmitates, ex quibus omni physica ratione desperat a fuit, pro ingenio nostro exponere sat agimus; à principali corporis parte incipientes. Quia Cephalicam, id est, dolorem capitis tam vehementer patiebatur, vt pro abiecto peplo, nec subtilissimum filum, nec ipsam cesariem sustinere posset. Igitur, quia tantus dolor caput ipsius sapissimè tentauit: omnes regiones capitis, videlicet, os, labium, oculi, cilium & lingua subuersæ sunt, vt vnaquæq; illarum stationem suam à natura locatam contra ipsam naturam permutarit. Talis quoq; singultus eam constrinxit, vt putaretur mortis esse presagium. Sospitatis inimica paralysis dextrum brachium eius tam debile reddiderat, quod penitus naturali officio carebat *

De reliquis infirmitatibus eius super sedemus, ne minor de dictis fides habeatur. Sed hoc minime silentio transeundum est, quod prædicta femina sine gratiarum actione tertia die post susceptam curam ad domum suam redire disponens; recidente in brachium eius paralyti, donec Deo ac Kunigundi pro beneficiis omnium curarum gratias rependeret, diutius per inuisibilem febris catenam remanere cogebatur; accidit autem tale miraculum, quod brachio eius incomparabiliter vexato, & tumba superposito, nisi S. Henrici adhibito capite, nulla requies concessa fuit, nec retrahendi manus fuerat sibi concessa facultas, donec accersito, & votis eius annuente fratre, ipsius potentissimus omnium Dominus, votiui precibus placatus sum integra sanitate liberum ei permisit discessum.

Ibid. miracula duo de duobus pueris curatis, distinguuntur hisce; Adfuerunt etiam duo pueri ibi, quorum vni tanta membrorum mollities inerat, vt fere ossibus carere putaretur: qui subito consolidatus ambulauit.

Alteri verò de Lycendorf tam mira macies corpusculum consumpserat, vt gressu & loquendi vsu à natiuitate vsque ad ætatem, qua plantarum dentium dicitur, omninò careret: hic bene vtriusque sanitatem recipiens, gressum recepit & loquebatur.

Ibid.

Ibid. Puella sciatica de Giefeld dum pro gratia curationis ad visitandum s. Virginis sepulcrum suspirans anhelaret, nec tamen se pro turba ingerere potuisset, subito celestis gratia medicinam recepit. In ciuitate nostra debilis puer filius cuiusdam vinitoris ex contractione neruorum carens officio pedum, etiam sanus ibidem efficitur. De Se quadam mulier ex infirmitate diutina inclinata meritis beatæ Imperatricis erigitur. Quadam puella de Burgo, qui dicitur Nurenberg, planta pedis sursum recurua, & geniculi contracti, sanationem obtinuit. Alia quoque puella de eodem Burgo habens aridam manum, ad sepulchrum s. Cunigundis orationibus & vigiliis insistens, neruorum, articulorumque flexibilitate diuinitus indulta, vt à pluribus curatis didicerat, consam cesariem in testimonium sanationis legauit. In Haldenshat puella visu carens, bis illuminata est: & alia quadam gressum recepit.

Quæ sequuntur, desunt in Codice Rebdorffensi; sicut & illa, quæ à capite 19. vsque ad finem ex Cod. Rebdorffensi referuntur, non compararent in Apographo Bambergensi: ex cuius fide hæc adscripsimus. Surtius vix vnum aut alterum miraculum commemorat.

Mutus de Stetefeld: mutus de Liechtenfels, & muta de Meingouue, loquelam receperunt.

Filia Villici in Vorheim gressum recepit, & manibus paralytica debilitate arefactis, aliquanto resumpto vigore, cibaria ori applicabat.

Alia puella de eodem oppido curuitate minus inclinata, diuini muneris particeps, vt humanam naturam sequeretur sursum aspiciens, sine mora erecta est.

Hoc etiam opera precium ac * licere dignum duximus: * subiicere, ^{forte legend} quod puluis, qui ob vim curationis de sepulchro sanctissime Imperatricis manibus euellitur; cum receptione sanitatis, in purum frumentum conuertitur. Equidem, ne hoc contra rerum naturam incredibile putarem, certæ manifestationis indicio rei veritatem comperimus. Enim verò quidam rusticus vulnus ore patiens; tali puluere pro vnguento utebatur; & adeptâ sanitate, puluerem in frumenti speciem trans-

transmutatum, sub testimonio probabiliū virorum ad Ecclesiam reportauit. Et, ut iterum inde euidentius certi fieremus: quidam vir de Beiersdorf, & plures alij de Nuremberg, ad eam sibi accidisse affirmantes cum iuramento mutatam terræ naturam in veram speciem frumenti ostendentes, ad prænominatum locum detulerunt.

Tale mirum adhuc non credentibus, ut dubium amplicaretur; mulier caliginosis oculis cacutiēs, spe sanationis, puluere madidato utebatur: quem etiam versum in frumenti naturam, & paruum madorem, quem addiderat, cum augmento inuenit: unde nimis anxia, quid faceret; ad vltimum deliberauit, ut in venalibus rebus lucratiuam gratiam haberet: quæ diuinitus quod factum fuerat, tam diu celauit, donec febrium molestiis occupata, inde sibi dolorem prouenisse coniceret. Porro cum populus ad adorandum in Ecclesia conuenisset, mulier inito consilio, memorabile signum, quod acciderat, ostendit; & quia diu celatum habuerat, indulgentiam peccatorum cum lacrymarum effusione quesuit.

Quadam Dominicâ, dum solennia Missa agerentur, arida manus cuiusdam pueri, vigori restituitur.

In Assumptione S. MARIE, tria signa in quodam pæro de Gundolesheim, filio cuiusdam molendinarij, perpetrata sunt; ut mutus loqueretur, auribus eius auditus infunderetur: incessu pedum uteretur.

At hoc dictu mirabile negligendum non est; quod in loco nostro Babeberg uxor molendinarij à maligno spiritu vexata, prædicta Virginis ad tumbam ducebatur; & continuo demon egressus filiastram illius intrauit, iterumq; ad ipsam rediit.

Non est prætereundum, quod quaedam femina iliaca passione laborans, sanitatem se percepisse fatebatur. Dùm hæc laetius diuulgata fuissent; venit claudus quidam de villa, quæ dicitur

dicitur Vertheim; hinc Dei misericordia, & fauente S. Cungi-
gunda, cupitam sanitatem recuperabat, & ancilla pedis debili-
tate baculo innixa desideratam opem inuenit.

De Veldin caca mulier illuminationis gratiam experiri
digna inuenta est.

Quidam claudus de Castil in Baiaria claustrum monacho-
rum, dum ei miraculorum fama innotuisset, venire proposuit,
propositum perfecit; valetudinem recepit: sed quia incogni-
tus fuit, & sufficiens testimonium, quoniam ante visus non e-
rat, habere non potuit; inter curatos non recipiebatur: sed pla-
gis affectus, quasi deceptor abibat confusus. Postquam autem
ad predictum claustrum rediit, omnia, qua sibi euenerant, me-
morauit: unde multos leuioris animi in risum conuertit; mul-
tos etiam infirmos praemuniuit, quod nulli eorum sine testibus
ad Bambergensem locum, gratia curationis audendo veni-
rent.

Paralytica de Gisenwinde, votis humilibus Domino sup-
plicans, & ut credere fas est, apud Deum, & sanctam Cungi-
gundam, praecedentibus meritis, cedente infirmitate, facta est
incolumis.

Muta de Sachsendorf non lingua, sed corde loquendo,
postulabat auxilium, ut sibi reserata lingua id in ipsa, quod
natura in aliis operaretur; & statim cupitum donum impe-
trauit.

De Stadelhofen quidam officio lingua priuatus, videns
in aliis salutis effectum, intentius corde orabat; ut & ipse in
numero curatorum esse mereretur: quod eum orasse dubium
non est: quoniam exauditus est. Quoniam autem in gratiarum
actione obmutuit, iterum loquendi gratiam amisit: mox pa-
rentes eius & conuicanei stupefacti, mutum reducunt; & dum
essent in itinere, apertum est os eius, & loquebatur.

De Mi puer contractus, & femina de Holfeld

eâdem molestiâ turbata, dum ad curandum offeruntur, necessitatibus amborum à Domino S. Cunigunda subuenit.

Mulier ceca de Ratelsdorf, & alia quadam de dolentes pro luminis defectu, prostrata in orationibus sanctissime Imperatricis patrocinio illuminabantur.

Quidam mutus de Limpurch, dum in orationibus pernoctasset, factusq; manè, domum redire disponeret, diuina præditus gratia, & factus infirmitatis alienus, rectè loquebatur.

De Bodenstein mulier infu caput agitans populi deuotione pro ea supplicante, ab utriusq; mali penitus incommodo liberatur.

Beata Cunigundis plures sue sanctitatis testes habere volens, mutam puellam de Abenberg cum misericordia respiciens, soluto lingue vinculo, loquendi officio restituit.

De Neunkirchen clauda puella propitiationis auctricem largis fletibus aggrediens, vt sui misereri dignaretur, intimè flagitabat: & aperto sibi benignitatis ostio, preces, quas effuderat, non in vanum effudisse sentiebat: quia infirmitatis notam pristinam amittens, firmato gressu, vestigia figere cepit.

Ancilla quadam de Vochendorf, ex inflatione manuum dolens, flens in oratione procubuit, & factum est, vt tumor decrederet, atq; in singulos articulos sanitas citissimè rediret.

Seruulus quidam de Eisch officio lingue priuatus non tardam opem inueniens, loquela usus est: vnde etiam quos in presenti opere intitulauimus, eum socios habere volumus.

De VVirzeburgensi loco quadam conuersa debilitate manus molestata, resumpto vigore, lata efficitur, & hac videntibus iucunditas augetur.

Quidam puer auditu carens, cum sanitatis celeri effectu curatus non per signa, siue per magnum clamorem eloquentibus, imò ad tenuem vocem responsum dedit.

Alj

Alij duo pueri etiam in alijs infirmitatibus per virginem prænominatam curati sunt.

Tam memoranda rei signum, dum, sicut sol calum perualitat orbem implens ubiq;, inter innumerabiles varijs infirmitatibus oppressos claudus pia auxiliatricis interuentu celesti medicina erigitur.

Quo audito, cæcus illuminari exoptans inter mille hominum cateruas affluentes aduenit, & S. Virginis patrocinio, in quo confidebat, amissa cæcitate, lumen recipere dignus fuit. Siquidem huius rei experientiam puella, qua unicam manum habebat, sentire volens, pronis affectibus se humiliabat; & cooperantibus votis populorum largiter adiuta, mirabilem sanctitatis efficaciam indulta sanitate sentiebat.

Item claudus venerabile sepulcrum gloriosæ Imperatricis diligentius amplexans, & lacrymis irrigans; S. Cunigundis auxilio sanitatem recuperavit.

Itidem paralyticus consumptum natura vigorem recipere gestiens, & vocem attollens, medullitibus precabatur, ut sanati, quo utebatur gaudio, & ipse uti mereretur; & continuo exauditus, incolumis affectus est.

Hæc Apographum Bambergense: Et quamvis narratio horum mirabilium simplici ac rudi stylo contexta sit, & præterea ex codice antiquo admodum deprauatè exscripta ad me peruenerit; non tamen ideo omitti debuit. Quia in Sanctorum vitis legendis lector huc potissimum omnem suam

curam & operam conferre debet, ut fiat bonus animo;

quod etiam absque bono stylo obtinere potest.

Finis Notationu m.

Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text appears to be a continuation of a list or a detailed explanation of symbols used in the preceding section.

FINIS NOTATIONUM